

exigi cum effectu. Et quod pro dicta pena possit conveniri, ar-
restari, et delineri personaliter et realiter. Acto et convento inter
ipsas partes, quod omnes domus, possessiones, predia et bona im-
mobilia partium predictarum et singularium personarum ipsarum,
que per ipsas partes et singulares personas ipsarum ante presen-
tem guerram tenebantur in eo statu, in quo nunc sunt, restituan-
tur hinc inde illis partibus et personis, que ipsa tenebant ante pre-
sentem guerram. Item fuit actum inter dictas partes, quod omnia
debita ad que dicte communitates vel singulares persone subdite
et districtuales dictarum partium et cujuslibet earum sibi invicem
tenebantur ante presentem guerram, que per dominia ipsarum
partium vel alicujus earum exacta non fuerint, seu capta, rema-
neant inter ipsas partes in eo statu, in quo erant ante presentem
guerram. Et fieri debeat hinc et inde justicia inter partes et ple-
num et expeditum justicie complementum. Item fuit actum inter
partes predictas nominibus predictis, quod prefatus dominus dux
et commune Veneciarum teneantur et debeant de cetero solvere,
facere et prestare dicto domino Patriarche et Ecclesie Aquilegensi
et ejus Ecclesiis et subditis annuas prestationes pecuniarum et
aliarum quarumcunque rerum, quas solvere, facere, et prestare
ante presentem guerram consueverunt et tenentur ex forma pacto-
rum initorum inter dictam Ecclesiam et Patriarcham, seu patriar-
chatum Aquilegensem, et dominum ducem et commune Venecia-
rum. Et quod dictus dominus patriarcha et Ecclesia Aquilegensis
restituantur et restituti esse intelligantur ad omnia jura, immuni-
tates et facultates, que ex forma dictorum pactorum sibi compete-
bant ante presentem guerram. Que pacta inter dictas partes de-
beant super predictis inviolabiliter observari. Et similiter prefatus
dominus Patriarcha et ejus Ecclesia et subditi de cetero solvere,
facere et prestare tenentur dictis domino duci et communi Vene-
ciarum et eorum Ecclesiis et subditis annuas prestationes pecunia-
rum et aliarum quarumcunque rerum, quas solvere et prestare ante
presentem guerram consueverunt et tenentur ex forma dictorum